

C. VALERI FLACCI

280 fugerit Inoo linquens Athamanta Learcho;  
aureus ut iuvenem miserantibus intulit undis  
vector et adstrictis ut sedit cornibus Helle.  
septem Aurora vias totidemque peregerat umbras  
luna polo, dirimique procul non aequore visa  
285 coeperat a gemina discedere Sestos Abydo.  
hic soror Aeoliden aevum mansura per omne  
deserit, heu saevae nequiquam erepta novercae.  
illa quidem fessis longe petit umida palmis  
vellera, sed bibulas urgenti pondere vestes  
290 unda trahit levique manus labuntur ab auro.  
quis tibi, Phrixe, dolor, rapido cum concitus aestu  
respiceres miserae clamantia virginis ora  
extremasque manus sparsosque per aequora crines!  
Iamque mero ludoque modus positique quietis  
295 conticuere toris; solus quibus ordine fuis  
impatiens somni ductor manet. hunc gravis Aeson  
et pariter vigil Alcimede spectantque tenentque  
pleni oculos. illis placidi sermonis Iason  
suggerit adfatus turbataque pectora mulcet.  
300 mox ubi victa gravi ceciderunt lumina somno  
visa coronatae fulgens tutela carinae  
302 vocibus his instare duci: 'Dodonida quercum  
308 Chaoniique vides famulam Iovis. aequora tecum  
303 ingredior, nec fatidicis avellere silvis  
me nisi promisso potuit Saturnia caelo.  
305 tempus adest; age rumpe moras, dumque aequore toto  
currimus incertus si nubila duxerit aether,  
307 iam nunc mitte metus fidens superisque mihique.'  
309 dixerat. ille pavens, laeto quamquam omine divum,  
310 prosiluit stratis. Minyas simul obtulit omnes